



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 165. Tertia Legatio Hispaniæ Regis ad Papam in eadem caussa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII.

A. C. 1617.

§. CLXV.

*Tertia Legatio Hispaniæ Regis ad
Papam in eadem caussa.*

*Legat. Phi-
lippi III. ad
Paulum V.
& Greg.
XV. per
Luc. Wadd.
pag. 43.*

Cum ex dilatione definitionis in Hispania diffensiones recrudescerent, Rex Albuquerqueium Ducem ad Papam eandem ob caussam ablegare statuit, qui etiam ineunte anno millesimo sexcentesimo vigesimo Romam veniens, literas Regias Carthagiensi Episcopo Oratori suo tradidit, vi quarum hic a sua legatione in Hispaniam revocabatur, cum autem interea Episcopus alias a Rege recepisset literas, quibus Philippus III. dilaudata ipsius sollicitudine eum ad procurandum caussæ exitum urgebat, hinc ambo Oratores datis ad Regem literis nova deposcebant mandata, quibus allatis Episcopus Mense Majo in Hispaniam reverti jubebatur. Albuquerqueius igitur consorte suo liberatus, primo querebatur, quod Magister Sacri Palatii non modo prohibuisset, ne deinceps numismata cum hac inscriptione: *Concepta sine peccato originali* cuderentur, sed etiam quæcunque cusa repererat, ærario publico addixisset: Verum respondit Pontifex, id factum esse, eoquod ejusmodi numismata sine prævia facultate cusa fuissent, ac inde rudiores controversiam esse definitam, jacti-

Sæc. XVII.
A. C. 1617.

jactitandi ansam arripuissent: nihilomi-
 nus instante Oratore Pontifex hujus rei
 discussionem Corbellio Cardinali com-
 misit, qui hausta rei cognitione Pontifi-
 ci referebat, posse hanc concedi facul-
 tatem, dummodo in inscriptione hæc
 adderentur verba: *uti pie creditur*: Præ-
 termisso autem hoc litigio Albuquerqueus
 de præcipuo negotio agendum ratus,
 pro obtinenda causæ definitione impen-
 sius instabat, idem tamen semper re-
 sponsum, quod Episcopus, etiam ipse
 obtinuit, rem hanc non ex illarum ge-
 nere esse, quæ diligentia mere humana
 perfici possent, vel quos ob amicitiam,
 aut importunas hominum preces, vel
 Regum potentias liceret illico concedi,
 donec Spiritus Sanctus ex alto infudis-
 set, proin in controversia tam gravi,
 graviter quoque & mature deliberan-
 dum, necnon opportunius expectan-
 dum esse tempus: Cum ergo Orator de
 prospero negotii sui exitu desperaret,
 acceptisque a Rege literis reditum in
 Hispaniam maturare jussus esset, Pon-
 tifici tractatum obtulit, in quo variis
 exemplis demonstrare nitebatur, quod
 summi Pontifices quorundam revela-
 tionibus innixi quondam desinierint: Ve-
 rum hic Orator non attendebat, quod
 impræsentiarum de negotio tanquam
fidei articulo declarando ageretur, in al-
 latis

latis

Sæc. XVII. latis autem exemplis Pontifices proba-
 A. C. 1617. tis ejusmodi revelationibus duntaxat
pro instituendo quodam ritu vel festo usi fue-
 rint: Alio postea tractatu Orator scanda-
 lala ex hoc dissidio enata, cum Adver-
 sarii ea aut exorta negarent, aut sopi-
 ta fuisse dicerent, adhucdum invales-
 cere comprobabat.

Jæger Hist. Ceterum prorsus insulse Sectarii de
Ecccl. l. 6. c. 6. hoc inter Catholicos dissidio tripudiant,
Ferrar. Hist. ac per ludibrium sæpius in suis libris
Hisp. cap. 2. hoc inculcant: *Pontifex Romanus adhuc*
p. 333. t. II. *mutus est, & expectat revelationem a Spi-*
ritu Sancto, qui tamen venire adhuc cun-
ctatur &c.

Verum inconditi ejusmodi sales eo-
 rum imputandi sunt ignorantix; dum
 discrimen inter capita fidei, & discipli-
 næ statuere aut nesciunt, aut non
 volunt: Agebatur duntaxat de conclu-
 sione Theologica, quæ sola *definitiva*
 erat tanquam vera & certa: ut autem
 declararetur tanquam *fidei articulus*, re-
 quireretur universalis Ecclesiæ consen-
 sus, & prævie habita matura rei dis-
 cussio & consultatio &c. nec unquam
 Pontifices ad declarandum fidei articu-
 lum solis Principum minis aut piorum
 precibus vel devotione, aut indiscre-
 torum tumultibus permoti fuere: proin
 Heterodoxi hoc Catholicorum litigio
 nequaquam suas in eorum Ecclesiis ex-
 ortas

ortas diffensiones honestare valent; præ-
 terquam enim, quod plerumque apud
 ipsos actum fuerit de controversiis circa
 certos fidei articulos, insuper nos inter
 & ipsos hoc versatur discrimen, quod
 quamprimum Ecclesia ejusque Caput
 hanc quæstionem tanquam fidei articu-
 lum declarasset, totus Orbis Catholi-
 cus illum tanquam dogma a Spiritu
 Sancto Ecclesiæ suæ revelatum commu-
 ni obsequio acceptasset: econtra vero
 etsi ipsorum Spiritus Sanctus, sacra
 Scriptura, Concilia, vel Principes, Ma-
 gistratus vel Ministri controversam ali-
 quam quæstionem tanquam de fide de-
 finiissent, oppositæ tamen sententiæ Pa-
 troni ejusmodi definitioni minime stan-
 dum censerent, sed sibi utpote æquali
 Spiritus Sancti, necnon S. Scripturæ
 lumine perfusis suam sententiam præfer-
 re, integrum esse reputarent. Consulantur
 Synodi Dordracensis Decreta, nec-
 non edictum Ord. Hollandiæ & West-
 frisiæ, aliaque Religionis Calvinianæ
 & Lutheraniæ dissidia. Porro in hac
 controversia, quidcunque Pontifex e-
 gisset, semper Sectarii ansam cavillan-
 di captassent; postquam enim eam non
 definierat, eum tanquam mutum, ac
 Spiritu Sancto destitutum traducunt: si
 vero definiisset, novorum fidei articu-
 lorum fabricatorem suggilassent, qui
 duu-

Sæc. XVII.
 A. C. 1617.

Vid. supra L.
CXC. §. 142.
pag. 545.

Sæc. XVII. duntaxat ad Principum, plebisque ar-
 A. C. 1617. bitrium fidem novis articulis auxisset:
 nunc saltem non sine propria confusio-
 ne fateri coguntur, quod Pontifices nec
 temere nec tunc, *cum libet*, novos fidei
 articulos condant, uti falso Catholicis
 exprobat Anglicæ Apologiæ Author,
 (*) sed non nisi eos, quos Ecclesia in Verbo
 Dei scripto contineri agnoscit, tanquam
 fidei articulos accedente universali Ec-
 clesiæ consensu declarent, ac propo-
 nant.

§. CLXVI.

*Plures Academiae, urbesque piam sen-
 tentiam tuendi voto sese ob-
 stringentes.*

*Argentre
 collect. jud.
 tom. 3. pag.
 190.*

Causa hac nondum definita plures A-
 cademiæ, Regna urbesque pro sua,
 qua ferebantur, pietate erga B. Vir-
 ginem sese juramentis promissoriis, non
 autem assertoriis, ut Scholæ loquun-
 tur, cultum, veritatemque immaculatæ
 ejus Conceptionis tuendi votis adstrin-
 xere. Prævolabat religioso hoc fervore
 ceteris Parisina Universitas, quæ
 jam ante Basileense Concilium anno
 Chri-

(*) Vid. supra Jacobi I. Apologiam proju-
 ramento, lib. 187. Hist. Eccles. Fleurii tom. 54.
 §. 8. pag. 31.